



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

Articul. III. De circulo in Demonstratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)

Transfundunt totam suam certitudinem, quam possunt transfundere. C. quam non possunt. N. Nimirum præmissæ nequeunt facere, ut conclusio *quæ talis* non sit assensus mediatus, & deductus, & consequenter minùs notus, minùsque certus ac evidens. *Inst. 2.* Objectum conclusionis, & præmissarum est idem; ergo utrumque æquè certò scitur. R. D. *Conf.* Utrumque æquè certò scitur, certitudine *objectiva*. C. *formali*, & quantum est ex parte intellectûs adherentis. N. Potest intellectus eidem objecto æqualiter objectivè certo diversimodè adherere, quia ei diversimodè applicatur, semel nimirum *immediatè*, & semel *mediatè*. *Inst. 3.* Saltem in demonstratione à Posteriori præmissæ certiores & evidentiore non sunt; quia causa propiùs accedit ad prima principia, quàm effectus. R. D. *assert.* Præmissæ materialiter acceptæ. C. *formaliter sumptæ*. N. Hæ enim licet non sint *causæ* essendi, sunt tamen *causæ cognoscendi*, i. e. Per effectus & proprietates cognosco causam, licet non dent esse causæ.

ARTICULUS III.

De Circulo in Demonstratione.

608. **D**ico I. Circulus in demonstratione est, *quando ab eodem reditur ad idem.* Dicitur ejusmodi demonstratio *circulus* ab analogia, quam cum circulo habet, cujus natura est, ut in eodem, in quo incepit, puncto quoque desinat. Talem circulum formares, si neganti antecedens hujus discursus: *Animal est, ergo*

sensitivum est : probares sic : *Sensitivum est* , *ergo animal est*.

609. *Dico 2.* Circulus est duplex : *Materialis*, & *Formalis*. *Formalis* & *perfectus* dicitur, quando ab eodem, modo cognito eodem, fit regressus ad idem eodem modo cognitum v. g. Quando antecedens hujus discursus : *Homo est*, *ergo risibilis est* ; sic probares : *Risibilis est*, *ergo homo est*. *Materialis*, & *imperfectus* est, in quo ab eodem novâ ratione cognito, ad idem novâ pariter ratione cognoscendum fit regressus. v. g. Si correlativa probares per se invicem, ut *Genus per speciem subjicibilem*, & vicissim ; aut si catholico probares infallibilitatem Ecclesiæ ex Evangelio, & rursus infallibilitatem Evangelii ex infallibilitate Ecclesiæ, aliunde jam admisâ.

610. *Dico 3.* Circulus *formalis* est inutilis, non autem circulus *materialis*. *Ratio primi est* : Quia in eo nulla nova cognitio acquiritur, cum probetur idem per idem eodem modo cognitum. Deinde idem eodem modo notum esset notius se ipso ; quia conclusio procedit ex notioribus. *Ratio 2di est*. Quia conclusio aliunde perfectiùs cognosci potest, quàm ex præmissis, cum possit cognosci ex alia ratione, eademque ratio magis penetrari ; ergo generare etiam potest meliorem præmissarum cognitionem. Hoc ipso circulo usus est Aristoteles 8. *Physic.* ubi ex perpetuitate motûs probat primum motorem, & ex primo motore perpetuitatem motûs. Si dicas : quòd circulus *formalis* sit circulus *perfectus* ; ergo utilis quoque erit. *¶ Est perfectus*

ctus in ratione circuli; sed non in ordine ad probationes.

ARTICULUS IV.

An Scientia, Fides, & Opinio stare simul possint in eodem intellectu, circa idem objectum?

611. **N**ota. *Certum est* 1. quòd scientia in eodem intellectu circa idem objectum stare non possit cum ignorantia; hæc enim est carentia scientiæ. *Certum est* 2. quòd scientia stare nequeat cum actu erroris; quia hic directè opponitur scientiæ, utpote infallibili, & imperturbabili. *Certum est* 3. scientiam non stare cum formidine actuali, quæ perturbabilis est, & actu cogitat rem fortè aliter se habere. *Certum est* 4. scientiam stare non posse cum dubitatione, quæ est actus hæsitans, & repræsentans neutram contradictionis partem ita probari, ut uni præ altera sit adhærendum; igitur suspendit tam assensum, quàm dissensum; cum econtrà scientia sit assensus certus, & evidens. Prætereà hic notandum, quòd *Fides* sit assensus ob authoritatem loquentis: si authoritas sit hominis, erit fides humana; si divina, fides quoque divina erit. Hæc ultima de se obscura est; quia teste Apostolo *Fides est argumentum rerum non apparentium*: Obscuritas tamen fidei non est *privativa*, quasi nullam omninò diceret claritatem; sed *præcisiva* tantùm h. e. Fides dicit aliquam claritatem, sed non omnimodam. *Opinio* est assensus ob motivum probabile. De hujus essentia est formido, non quidem *actualis*,